

§. XVI. Ut summatim omnia dicamus; putamus prout materia Cometam ambiens, permanens vel mutabilis, continua vel divisa, longior vel brevior, Caput Cometæ pluribus vel paucioribus, majoribus vel minoribus nucleis, materiaque iis intermixtâ constat; vicissim prout hi nucleis variâ formâ ac figura præditi, tum Solares radii per Caput trajecti vividiores vel longiores sunt; sic Cometarum alii longiores, alii breviores, alii continuas, alii interruptas, & divisas, alii item constantes, alii mutabiles Caudas referre possunt.

§. XVII. Hinc observat Aristoteles, anno ante natum Christum 371 Caudam alicujus Cometæ tertiam Cæli partem obtendisse. Item anno ante Christi nativitatem 122 Caudam alterius magnitudine suâ quartam Cæli partem æqvavisse legimus. Sic Cometa anno Christi 1618. certis diebus 60. 70. imò ultra 100. grad. Caudam produxit. Ut certum sit, Caudas varias longitudes subire, nullique mensuræ alligari.

§. XVIII. Porrò in oppositione, quando Cometæ in ipsâ Eclipticâ resident, ubi Sol, Terra, & Cometa in uno eodemque plano existunt, caput eorum villosum & hirsutum apparere potest.

§. XIX. Quando autem obtinent Latitudinem notabilem Australem, non possunt absque omni Caudâ apparere, si quam reverà habent; sed necessariò magnam partem Caudæ nobis ob oculos ponunt, & quidem erectè sursum semper Aquilonem, Eclipticamque versus.

§. XX. Econtra, quando Latitudinem insignem Borealem præ se ferunt, atque extra planum Eclipticæ constituti sunt Cometæ, barbam deorsum vicissim Eclipticam versus promittunt, ac si deviatio Caudæ esset immensa; imò Cauda quasi in obversum Solis, sive ad Solum exporrigeretur: cum tamen fallacia visus sit, pro verâ scilicet longitudine Caudæ atque distantia à Terrâ Soleque; quorum exempla passim in Historiis occurrunt.

§. XXI. Et hoc Phænomenon nihil est, nisi obtectio, occultatio vel Eclipsis Caudæ, quæ à Capite fit atque eclipsatur.

§. XXII. Quando enim Caput Cometæ in Oppositione est, & quidem in Eclipticâ, nobiscum scilicet & sole in unò eodemque planò, Cauda à Capite obtegatur; & si Cauda amplior est ipso Capite, Caput in ipsâ quasi Comâ conspicitur eaque cingitur, ac si esset ab omni parte hirsutum & villosum.

§. XXIII.